

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

8 September 2000

Translate ALL FOUR passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. Did God encourage polygamy? (Commentary on Walter Map)

Hic esset querendum vtrum Salomoni licuit habere tot concubinas vel vxores cum fuerit post legem; eadem questione de Daud et multis aliis ante legem. Et videtur quod sic. Tempore nature institute precepit Deus: "Crescite et multiplicamini" etc.: Genesis 1 <28>. Et tempore nature destitute idem replicauit Genesis 9 <1>. Sed maior est multiplicatio si vir habeat plures vxores: ergo vtroque tempore debuit hoc fieri. Ad oppositum, Deuteronomium 17 <17>: datur inter cetera lex regi, "Non habebit vxores plurimas que illiciant animum eius." Circa istam dubitationem vna difficultas est: vtrum hoc fuit preceptum, "crescite" etc., vel non, quia si fuit preceptum omnes ad illud tenebantur vel tenentur. Si dicatur quod fuit preceptum ad tempus donec homines multiplicarentur, precipue cultores Dei, tunc est secunda difficultas maior: quando cessauit virtus huius precepti?—id est, vsque ad quem numerum debuit fieri multiplicatio, et qua etate debuit incipere, et quot mulieres potuit licite habere, et vsque ad quod tempus continuare? Et multe similes difficultates secuntur.

2. **Against ambitious and inexperienced spiritual teachers (Gregory the Great)**

Nulla ars doceri praesumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum! Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen saepe qui nequaquam spiritalia praecepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Sed quia auctore Deo ad religionis reverentiam omne jam praesentis seculi culmen inclinatur, sunt nonnulli, qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris, videri doctores appetunt, transcendere ceteros concupiscunt, atque attestante Veritate, primas salutationes in foro, primos in coenis recubitus, primas in conventibus cathedras quaerunt: qui susceptum curae pastoralis officium ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, et aliud docetur. Quos contra Dominus per prophetam queritur, dicens: "Ipsi regnaverunt, et non ex me: principes exstiterunt, et ego ignoravi."

3 **Criticize the sin without naming the sinner (John of Salisbury)**

Ipsum uero uulgato designarem ex nomine, et tumorem uentris et mentis, oris impudicitiam, rapacitatem manuum, gestus leuitatem, foeditatem morum quos tota uicinia despuit, obscenitatem libidinis, deformitatem corporis, turpitudinem uitae, maculam famae publicis aspectibus ingerens denudarem, nisi me Christiani nominis reuerentia cohiberet. Memor enim professionis meae, et fraternae quae in Domino est communionis, indulgendum esse personae credidi, dum tamen non indulgeatur errori. Defero ergo Deo parcens naturae quae ab ipso est, et impugnans uitium quod contra ipsum est, dum naturam corrumpit quam ille generauit. Vtique par est sine derogatione personae sententiam impugnari, nihilque turpius quam cum sententia displicet aut opinio, rodere nomen auctoris. Longe quidem probabilius est ut opinioni falsae quatenus tamen error tolerabilis est parcatur interdum propter hominem, quam ut propter opinionem homo carpatur. Hac itaque contemplatione suppressi uulgati nominis notam, ne non tam erroris uidear procurasse medelam, quam infensam deturpasse personam.

4 The marriage of the Seven Liberal Arts (Thierry of Chartres)

Volumen septem artium liberalium, quod Greci 'eptatheucon' uocant, Marcus quidem Varro primus apud Latinos disposuit, post quem Plinius, deinde Marcianus. Sed illi sua. Nos autem non nostra sed precipuorum super his artibus inuenta doctorum quasi in unum corpus uoluminis apta modulatione coaptauimus, et triuuium quadruuio ad generose nationis phylosophorum propaginem quasi maritali federe copulauimus. Siquidem Phylogiam Mercurio, tota preeuntis Hymenei uirtute magnoque Apollinis et musarum consensu, epithalamica sollempnitate coniunctam esse tam Grai quam Romulei uates contestantur, artibus his septem, quasi sine eis res agi non possit, interuenientibus. Nec inmerito. Nam, cum sint duo precipua phylosophandi instrumenta, intellectus eiusque interpretatio, intellectum autem quadruuium illuminet, eius uero interpretationem elegantem, rationabilem, ornatam triuuium subministret, manifestum est eptatheucon totius phylosophye unicum ac singulare esse instrumentum. Phylosophya autem est amor sapientie; sapientia uero est integra comprehensio ueritatis eorum que sunt, quam nullus uel parum adipiscitur nisi amauerit. Nullus igitur sapiens nisi phylosophus.